# TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

# FEBRIS TEMPORE PRIMO.

Auctore Thoma Prestwood Lucas.

Secundum definitionem a Doctore Cullen editam, natura febrium propria e conditione languoris, lassitudinis, aliisque debilitatis signis pyrexiam antecedentibus, constat. Cum ille celeberrimus floreret, nulla ratio horum symptomatum a principiis sanis derivata, prolata fuerat; et, donec ab inquisitionibus pathologorum nuperioribus, quantum genus venosum ad hæc phænomena ef-

ficienda conducat, pro comperto sit habitum; eorum origo penitus in tenebris latebat. Jam, vero, siquando sanguis præter naturam in magnis venis interioribus et circa cor dextrum congeritur, ea symptomata, quæ cum pyrexia superveniente febrem, ut supra definitur, constituunt, cito esse profluxura, indiciaque debilitatis, revera a fonte circulationis, sanguinis copia immodica, quam per totum corpus dimittere nequeat, oppresso, ortum suum deducere melius fortasse dicamus.

Quum vero, ob vim actionemque cordis hæc copia supervacua in arterias projicitur, cuncta debilitatis indicia evanescunt, et pyrexia sive stadium excitationis supervenit. Ægri, autem, cunctis symptomatis, pyrexiam antecedere descriptis, plurimum exacerbatis, demortui sunt; neque tamen ullum pyrexiæ indicium qualecunque sese ostenderit; cadaveribus talium apertis, dextra auricula ventriculusque lateris ejusdem, simul cum venis magnis ad eos ducentibus vel cum iis nexum arctum habentibus, sanguine referti, inventi sunt. Hinc, igitur, symptomata febris primaria, sive languorem, lassitudinem aliaque debilitatis signa pyrexiam præcedentia, a

congestione venarum orta esse, deducere par est. Pyrexia, quæ subsequitur, actio est salubris, ad æquilibrium circuitus turbatum restituendum instituta.

Si res se ita habere spectamus, febres sese, ex usu, in duo stadia distribuunt. Alterum Congestionis, supra depictum ; alterum Pyrexiæ, actione cordis et arteriarum aucta, cum calore animali, præter naturam, evoluto insignitum. Quum prius non adeo vehemens adest, ut prorsus actionem cordis obruat, indicia posteriori propria subsequentur. Stadium quidem, secundum, sive stadium pyrexiæ, e congestivo profluere, et ea sæpe sibi invicem causam et effectum esse, a duobus exemplis, quæ, Doctore Mackintosh, amico æstimando et præceptore meo honorato, viam monstrante, mihi conspicienda occurrunt, plus quam verisimile videtur.

Alter ægerullus, infans ætat. 10 menses, convulsionibus correptus est, quæ per horas paucas urgebant ; postea in statum, ut videbatur, comatosum incidit ; facies pallore cadaveroso sudoreque frigido viscida obducta fiebat. Oculi, fixi obtuituque vacui, quasi tenui membranula obtecti sunt, et vix lucem omnino percipere pote-

rant. Partes extremæ frigebant; truncus vero corporis ultra modum naturalem calebat. Pulsus 130, parvus et oppressus. Enematis acribus sæpe repetitis, balneo calido, frictionibus, et catharticis ex submuriate hydrargyri confectis, renixus vehemens inductus est; æger jam valde mobilis fiebat; lucis vel minimæ impatiens; brachium sinistrum sæpe huc et illuc jactabat, eoque caput sæpe feriebat; et quotiescunque movere eum tentabatur, alto ejulatu clamabat; cutis acriter incaluit, genæque erubuere. Sitis ingens accessit, adeo, ut quodcunque ei porrigebatur, avide combiberet. Assidue gemebat, cunctæque gesticulationes dolorem capitis intensum indicare videbantur. Pulsus adeo acceleratus est, ut ictus numerari nequirent.

Hæc symptomata, octo hirudinibus temporibus admotis, unde haud parum sanguinis detractum est, brevi levata sunt. In somnum altum deinde incidit, neque indicia mala per horas octodecim postea reverterunt; quando parentes, qui rudes et ignari fuere, de infantis salute desperati, nil ultra remedii tentari permisere, posteroque die spiritum ultimum ægerulus efflavit. Nullæ preces ut corpus post mortem incidi sineretur,

valuerunt. In hoc exemplo, febris partes, vel stadia, ambo, sese insigniter produnt. Prima, enim, indicia oppressionis, ac ea quæ in stadio priore febris apparent, prorsus eadem esse, etsi profecto multum aggravata, ut opinor, proculdubio est; atque ea a congestione venosa fuisse orta, pariter conspicuum erit, si hoc cum sequente, ubi æger, antequam signum renixus vel mininum accessisset, demortuus est, comparemus. Hora circiter secunda post noctem mediam, hic æger rigidus et sine motu omni jacere observatus est. Hora prima P. M. primo medicus invisebat; ubi adhuc statu eodem manebat; oculi inscio ægro erant fixi; pupillæ dilatatæ; nullus lucis sensus; facies collapsa, ac marmor, æque pallida, et sudore frigido unctuoso suffusa; labia quoque livebant. Extremitates friguerant, calor vero trunci corporis nonnihil supra gradum naturalem stetit; pulsus ad carpum sentiri tactu nequibat, et cor ipsum valde languide micabat; paucis horæ minutis elapsis, postquam visus erat, anima spiritu supremo decessit. Corpore post mortem inciso, congestio venosa in mirum modum adesse, inventa est. Sinus cerebri, pariter ac ejusdem vasa omnia, una cum iis pulmonum, sanguine

nigricante referti sunt. Auricula dextra ad amplitudinem summam distenta videbatur, adeo ut aliquantum a cordis latere emineret. Coronariæ venæ, cavæque descendens imprimis, plurimum quoque distentæ fuere. Hoc fuit exemplum congestionis, quam optime insignitum; et num renixus, si medicinæ auxilium mature post morbi aggressum esset arcessitum, induci potuisset, necne, dicere nefas est: sin autem symptomata exempli utriusque inter se invicem conferamus, pathologiam amborum, ut mihi videtur, prorsus similem esse inveniemus; quamvis posterius vehementius fuisse haud inficiandum est; et si, remediis tempestive, strenue, et perite adhibitis, actio cordis esset restituta, procul dubio reactio, ac in exemplo priori æque vehemens, fortasse æque lethalis quoque fuisset. In altero, prima febris indicia maxime aggravata, idoneis remediis usurpatis, in stadium pyrexiæ acutum desinere conspicimus. In altero, ubi stadium primum sibi formam adhuc graviorem adeptum est, notas tamen præcipuas similes exhibens, unde nullus error oriri potest; ratio symptomatum, quæ congestio venosa esse videtur, corpore inciso, aperte in lucem profertur.

Rebus ita perspectis, hanc argumenti divisionem assumpsi; et quia mihi persuasum est indicia diversa a congestione in febribus affecta, formas tantummodo stadii primi diversas, a fugacibus languore, lassitudine rigoribusque febris simplicis, quæ sine ulla medicinæ ope sponte decedunt, ad invasiones vehementiores magisque lethales, quæ in Typho vel Peste ipsa accedunt, magis minusve exacerbatas.

Stadium, igitur, febrium congestivum, gradibus fere indefinitis accidere potest; ut, descriptio tamen nostra magis perspicua evadat, id sub tribus contemplari statui.

Formas ejus minime vehementes, plerumque pauca symptomata prægrediuntur. Decursum porro suum adeo leniter sæpe persequitur, et id adesse vix omnino sentiatur. Si contra invasionem acutam antecessurum est, talia plerumque sese ostendunt. A sensu frigoris per corpus patentis, quem dolor capitis, nausea et sæpe vomitus comitantur, incipit; plurimum quoque lassitudinis, cum sensu molesto ponderis oppressionisque circa præcordia, viribusque motus voluntarii multum prostratis, adest. Æger item incuriam rerum insolitam exhibet, et ab omni nisu et ex-

ercitatione aversatur. Hæc conditio per dies duos vel nonnunquam tres etiam perstat, et sæpissime invasionem haud parum vehementem prænuntiat. Hæc signa, etsi non sint gravissima, tamen adeo notabilia existunt, ut naturam illorum inter et eorum quæ aggressiones congestiones gravissimas indicant, nexum facillime detegere possimus.

Symptomata, quæ aggressiones inflammatorias sæviores præcurrunt, cum iis supra memoratis, forma vero admodum aggravata, similitudinem generalem habere invenientur. Sensus frigoris et constrictionis, gravissimus est, atque tempora excitationis fugacia sæpe intercedunt. Adsunt quoque dolor capitis et dorsi, assiduus et fatigans; vertigo, nausea et vomitus, cum animo valde depresso, quem facies collapsa et anxietatem insignem exprimens indicat. Hæc symptomata magna virium prostratio, sensusque oppressionis universæ, comitantur. Pulsus plerumque parvus et celer est, et interdum ad carpum vix percipiendus. Respiratio non semper afficitur; si vero ita res se habet, celerrima et solicita, evadit, et sæpe inspirationibus invitis profundis interrupta.

Hujus stadii diuturnitas admodum incerta est; raro tamen ultra diem quartum, et aliquando non tamdiu perstat.

Quotiescunque rigores bene notati comitati fuerint, renixus, secundum Doctorem ARMSTRONG, maturius expectandus est; idemque annotat, non posse fieri, quin aliquis nexus adhuc incognitus accessionem rigorum inter et pyrexiam quæ subsequitur, intercedat, quum in exemplis febrium mere congestivarum lethalibus, rigores vix unquam observentur.

Hæ, igitur, sunt formæ minus vehementes, stadii febrium primi, quadam ex parte, quamque aggressionem antecedentes; quoniam vero in statum pyrexiæ fere semper sine remediorum ope desinunt, minoris momenti sunt; quia ad indicia excitationis superventura temperanda, sit præcipue respiciendum. In formis vero gravioribus, quæ adhuc considerandæ manent, non modo sæpe vitam, nisi illis tempestive et strenue obsistatur, extinguunt, sed sæpe etiam remediis optimis consilio quam maxime sapiente institutis cedere abnuunt.

Nonnunquam a signis supra memoratis, decursum suum formidandum ingreditur; vel, vice ag-

gressionis paulatim factæ, æger repente horrore, quem rigoros bene notati raro comitantur, vertigine sensuque doloris profundi, et ponderis in capite, quod sæpe levare nequit, corripitur.

Ventriculus plerumque nausea magna et molestia plectitur. Sensus est quasi angustiæ per thoracem, et oppressionis summæ circa præcordia, unde frequentes longæ et profundæ inspirationes, atque anxietatis molestissimæ sensus inducuntur. Vultus primo pallidus, et magnum languorem depressionemque indicans, cito colorem albidum et cadaverosum adipiscitur, itemque sudore frigido viscido irroratur, qui in fronte et extremitatibus sentitur; trunci cutis frigida est, sicca et constricta; mobilitasque ejus naturalis plurimum imminuitur; adeo ut epispastica jam parum valeant, vel aspectum post se relinquant, quasi cutis ferro candente adusta fuisset; labia livescunt, et lingua, sub initium, alba et nitida, postremo nigra fit, et sordibus obtectâ, quæ ad dentes etiam et labia serpunt, in quibus crustæ crassiores formantur. Æger, quasi sensui oppressionis obruenti cedens decumbit; vel si se sustinere potest, partes extremæ officii sui nihil amplius compotes sunt; et ebrio similis titubat; sensus in-

terni omnes confusi, vel sæpe etiam omnino interrupti videntur; miserque in conditione stuporis permanet; oculus cere vitreus est, fixus, et nihil eorum quæ circunstant, percipiens; pupillæ sunt dilatatæ et haud raro lucem minime sentiunt; nisus levior subinde, vel manus caput versus levata, vires motus voluntarii non prorsus esse abolitas monstrant. Postquam in hoc statu per temporis spatium incertum fuit, supremum spirat.

Nonnunquam tanta est virium vitæ oppressio, ut æger statim deficiat; aliquando malum per dies aliquot non ad exitum lethalem pervenit.

Ante mortem coma altius evadit, usque donec æger, cum signis morbi apoplectici, demoriatur; respiratio cum summo labore absolvitur; pulsus deficit; subsultus tendinum et convulsiones accedunt. Interdum, vero, indicium excitationis parvum quidem sese prodit; calor, scilicet, lenis corpus pervagans; et fere semper ea signa apparent, quæ putredinem indicare creduntur; qualia sunt; sanguis solutus grumosus; petechiæ, maculæque gangrænosæ in superficie corporis; sanguinisque profluvia e cavis corporis diversis, vesica præcipue et intestinis. Ventriculus quodque valde irrita-

bilis existit, eamque materiam acidam nigricantem rejicit, quæ adeo sæpe, quod ad colorem, coffææ fæcibus assimilata est. — Hæc, igitur, est forma temporis febris primi gravissima; in qua symptomata vires vitæ adeo usque obruant, ut nullus renixus, ne minimus quidem, accidere possit. Ut supra narratur, nullum omnino actionis cordis restitutæ signum sese prodidit. In hac re, autem, pariter ac in aliis paucis, notæ ejus præcipuæ variant. Aggressio aliquando haud ita repentina fit. Æger plerumque per diem unum vel alterum se male habet, antequam malum sese penitus in conspectum dederit. Sensus interni adeo turbantur ut longe aliter ac antea se gerat et loquatur: inter ambulandum titubat; prolatio verborum tarda et lenta evadit, et articulatio haud ita firma et constans; postquam per tempus aliquod ægre pedibus institerit, denique ad lectum confugere cogatur; delirium subsequitur, et reactio abnormis vel imperfecta accedit, inter quam pyrexia sese paulo prodit, et hæc conditio in die aliquoties accedit et evanescit.

Tantum abest ut calor per corpus universum pateat, ut revera in trunco concentretur, dum partes extremæ frigent, vel saltem calorem natu-

rali majorem non adipiscuntur. Æger nunc de calore immodico, nunc de frigore conqueriter, dum calor corporis revera idem permanet.

Pulsus parvus, abnormis, et quasi luctans, hanc formam sæpissime comitatur, qui nonnihil celerior et acrior evadit, si signum ullum reactionis se prodit.

Pulsus tamen aliquando per totum hoc tempus haud parum celeritatis habet, sed adhuc debilis et oppressus perstat. Ventriculus, ut jam annotatum est, admodum irritabilis existit, et quodcunque ingeritur, rejicit; et profecto in omnibus invasionibus congestivis hoc viscus, fortasse ob cerebrum conditione sinuum referta compressum, semper afficitur. Alvus plerumque astricta est; siquando vero morbus diu perstiterit, et sæpissime cum petechiæ sese ostendunt, alvi fluxus supervenit; fæces fœtidissimæ sunt, et neque colorem, neque crassitudinem suam naturalem retinent.

Sic notas temporis febris primi præcipuas adumbrare conatus sum; hasque a formis lenioribus ad gravissimas usque exequendo, hoc comperimus, quod quamvis late distare videantur, in gradu tantum discrepent; si, enim, quamlibet cau-

sam, exempli gratia, congestionem venosam, pro origine ducamus, nullum omnino signum est, quod a causa mali primaria diu et vehementia augescente admota facile oriri acie mentis concipiatur. Quum, igitur, gradum congestionis leniorem, lassitudinem, languorem, capitisque dolorem inducentem videmus; quam facile sententiam deducimus, quod si causa horum sensuum aliquo modo intendatur, hos quoque ad oppressionem universam obruentem, ad vires motus voluntarii ex toto prostratas, functionesque cerebri cunctas torpidas factas, qualis torpor a hujus visceris compressione oritur, auctos conspexerimus. Si hæc symptomata graviora formas primi febrium stadii graviores tantummodo esse concedatur; hæc posteriora gradibus congestionis venosæ lenioribus attribui oportet.

Dr Armstrong ait, quod, quantumcunque febres inter se, quod ad causas pathologiamque externam attinet, discrepent, tamen effectus earum præcipue in organa vitalia nihil aliud nisi excitatio simplex, inflammatio, et congestio, existant. Causa proxima febrium indiciorum adhuc latet; nisi profecto eæ explicationi confidamus, quæ ab illis pathologis redditur, qui ea in-

flammationi alicujus texturæ præ cæteris rejiciunt. Quantumcunque tamen rationem actionis auctæ excitationis hæc commenta reddere possint; causam proximam morborum congestivorum nequaquam explicare videntur. Secundum doctrinas a Broussais in medium prolatas, omnia ea symptomata, quæ supra, quasi congestionem venosam indicantia, recensui, inflammationi referuntur, membranæ mucosæ ventriculi et intestinorum tenuium, quæ, ut illi videtur, sedem primariam omni turbationi constitutionali præbent, unde indicia externa diversa, prout sympathiæ singulæ plus minus evolvuntur, ortum suum ducunt. In iis, tamen, qui aggressionibus congestivis gravissimis succubuere, non tales, in tela mucosa aspectus, quales signorum vehementia indicasset, corpore inciso, reperimus.

Causa mortis, autem, ut illi, qui has doctrinas tuentur, aiunt, non statim a morbo membranæ oritur, sed ejus actioni referenda, per consensum in organa vitalia impensæ, quorum functionibus impeditis vita perit.

Hæ asseverationes sunt; haud satis tamen, a rebus factis et veris confirmantur: conjecturæ nimis nituntur, adeo ut illas pro veris stabilitis su-

mere non liceat. Congestio generis venosi cerebri, per cadaveris incisionem, detecta, satis rationis status ægrorum hac morbi forma laborantium, apoplectici præbet. Congestio circa cor; in pulmonibus; in hepate, quare et quomodo horum viscerum functiones turbatæ sint. Causa tamen talis congestionis adhuc latet. ARMSTRONG eam viribus ventriculi dextri pro rata parte imminutis rejicere mavult, unde certe totum genus venosum afficitur. A quodam physiologo in Columbia oriri dicitur ab * "An increased action of the arteries, by which their capacity is diminished, and their contents piled up, in the veins, and when they" (arteriæ scilicet) "act most powerfully, when they antagonize most powerfully,

---

* "Arteries and veins antagonize each other: both possess the power of diminishing their diameters, the length of which depends npon the degree of an antagonist force. Therefore, when they are small, it is because they antagonize with more force, with more action; when large, because they do so with less force, less action."—E prælectione, "On the state of the blood-vessels in fevers," coram Societ. Med. Philadel. a C. D. MEIGS, M. D. mense Jan$^{ii}$. 17$^{mo}$, anno 1824$^{to}$.

when their calibres are smallest, we shall have shrinking of the surface of the body, paleness, coldness, &c." Ad hoc commentum sustinendum multa argumenta speciosa et ingeniosa adducuntur, simul, vero multis objectionibus patet. Limites, autem, dissertationi hujusmodi concessi, nil, nisi tantummodo id in transitu memorare, facere sinunt.

## DE CAUSIS REMOTIS.

Causa, quæ ad formas graviores hujus stadii sive speciei febris proclivitatem efficit, status constitutionis debilitatus videtur esse, qui hanc causis excitantibus morbi resistere minus valentem reddit. Hinc plerumque in senioribus, iisque qui intemperantia diuturna, &c. exhausti et fracti fuerunt, observatur. Fœminæ quoque, præsertim cito post puerperium, et infantes, quam viri, ejus invasionibus obnoxiores sunt. Causæ excitantes videntur esse, frigus intensum vel insolitum et irregulariter applicatum, quædam pathemata mentis, nimia exercitatio, corporis concus-

siones vehementes, et præ omnia, contagia vel miasmata quædam, omnesque causæ, quæ actionem cordis deprimunt.

## PROGNOSIS.

A pathologia hujus formæ morbi, ut, a dissectione monstratur, constat, periculum non tantum a læsione organi cujusvis, quantum a prædispositione, ad tales læsiones in stadio futuro, relicta, esse oriturum.

Quando vitam perdit; hoc malum efficitur, quibusvis functionibus vitalibus oppressis, sanguine præter naturam in genere venoso accumulato; nullaque ratio est alia, qua hæc conditio periculosa, nisi reactione sive generis arteriosi excitatione, tolli queat. Quisque gradus, igitur, ad talem statum versus, faustus est. Hic renixus temperie corporis æquiore et latius diffusa indicabitur; oculi suum aspectum vitreum abjicient, ægerque, eos qui circunstant, observare incipiet; respiratio facilior, pulsusque plenior et fortior, evadent. Si, contra, remediis frustra adhibitis,

nulla mutatio talis accedit; quando oppressio generalis potius aggravatur; cum mobilitas ventriculi augetur, et quod ex eo rejicitur fæcibus coffææ similitudinem refert; cum corpus petechiis crebris et vibicibus maculatur; urinaque et fæces ægro invito redduntur, cur exitum pessimum metuamus, gravis ratio nequaquam deest.

## DE RATIONE MEDENDI.

PATHOLOGIA stadii febris congestivi bene perspecta, consilium medendi præcipuum esse constat, sanguinis impetum superficiem versus et extremitates, a quibus recessit, derivare; sic enim organa oppressa parte oneris saltem sublevabimus, vimque elasticam distentione nimia minutam tunicis vasorum sanguinem vehentium restituemus. Ad has indicationes satisfaciendas, ægrum balneum calidum sale refertum statim inire, jubere oportet, vel si hoc minus in promptu fuerit, fomenta calida super epigastrio, ampullasque aqua calida plenas, vel sacculos arena calefacta repletos et partibus corporis diversis admotos, præcipere decet; frictionibus per pannos laneos calefactos,

et stimulantibus medicamentis simul adhibitis. Vix ulla ratione sanguinis impetus superficiem versus melius aut certius quam aëre calefacto per balneum aëreum, si hoc in promptu sit, dirigi potest. Quum hoc remedium frictionibus sedulo adhibitis adjuvatur, fere semper calorem animalem summæ cuti reducet, et plerumque sudorem copiosum et universum eliciet. Usus emeticorum quoque haud parum prodest, et in morbis congestivis fortasse nulla auxilia magis efficacia esse possunt.

Siquando, tamen, caput plurimum manifeste laborat, quomodo ista adhibeamus cavendum est; usus enim horum, rebus se ita habentibus, secum haud parum periculi affert.

Hæc ratio in morbo congestivo medendi cum * Celso etiam æquæva est. Ille, enim, post vomitum, balneum calidum, stimulantia interna, dicit, "edat allium aut bibat calidam aquam cum pipere," deinde applicationes calidas suadet, sed audite ipsum †: "Fomentisque sed protinus validioribus, totum corpus circumdare convenit, maxi-

---

* Lib. iii. c. xii.

† Loc. supra cit.

meque involutis extinctis testis et titionibus;" vel in balneo, vel simul atque æger ex eo exierit, sanguinem e brachio vel arteria temporali, vel in infantibus e vena jugulari detrahi, et, donec actio cordis levetur, fluere permitti oportet. Quod ad mensuram depletionis attinet, quam maxime cauti esse, effectusque ejus sedulo observare debemus. Si pulsus celerior et plenior evadat, ægrum se melius habere, credere par est; sin autem pulsus debilior fiat, brachium statim allegandum est.

Symptomata, profecto, aggressionis congestivæ, iis, quæ depletionem indicare videntur, prorsus opposita sunt; in memoria tamen semper tenendum est, debilitatem, et virium prostrationem perfectam quas videmus, ita se habere in aspectu tantummodo, et a massa sanguinis circuitum impediente viresque constitutionis obruente oriri. Quum hæc ita sint, summum beneficium sæpe sanguinis detractionem sequitur. Sanguis primo e plaga fluere volet; paulo post, tamen cito fluvium plenum et continuum, cum ægri levamine magno, effundet. Respiratio facilis evadit; oculi suum nitorem recuperant; calorque benignus sese per corpus universum diffundit. Levamen mag-

num a sanguinis detractione percipiendum in temporibus etiam SYDENHAMI cognitum est; et exemplum ille profert, quod bonos ejus effectus probe comprobat. Hic prudens Naturæ inspector erroribus perniciosis sui sæculi se minime permisit, sed signa insolita fonti illorum idoneo rejecit. Hæc ille dicit, "Natura a primo morbi impetu quasi oppressa devictaque non satis valida est, ut symptomata regularia ac magnitudini morbi consona exerat: omnia vero phænomena prorsus anomalia."

Simul annotandum est, nullam morbi formam, quam ea de qua agitur, recrudescere procliviorem esse; et si, ut putatum est, a conditione ventriculi dextri pro rata parte debilitata pendeat, cavendum est, ne corpus adeo depleamus, ut compages universa nimis debilitetur, et sic via ad morbi reditum sternatur. Quando sanguis detrahi debet, hoc remedio non nimis primo uti, sed potius ad id per intervalla, si necesse fuerit, confugere, melius erit. In infantibus, ubi vena sæpe non omnino aperiri potest, hirudines insigniter prosunt, et ob summum eorum corporum adeo vasis instructum, hirudines vice sanguinis missionis generalis probe funguntur. Si, post-

quam remedia supra dicta strenue usitata sunt, renixus non adeo velociter ac optandum est, accedit, stimulantia diffusibilia cum diluentibus calidis, quæ semper, ob humorum derivationem quam efficiunt superficiem versus, prosunt, exhibere sæpe oportebit. Potus calidi et stimulantes, quales supra a Celso laudantur, vel calida ulla infusa aromatica, veluti zinziberis, utilissima reperientur. Siquando vires vitæ plurimum depressæ videntur, spiritus vini Gallicus caute adhibitus, præsertim cum opio ; ammonia, æther, &c. sæpe cum commodo summo exhibentur. Minime vero postquam reactio acciderit, stimulantia dare licet. Natura ipsa tunc opus omne peraget, et in excitatione nimia temperanda solummodo elaborandum est.

Alvus, magno enemate cathartico bene purganda, deinde catharticis regulariter exhibitis facilis tenenda est. Horum submurias hydrargyri a Doctore Armstong, cujus inquisitiones peritæ tantum lumen naturæ morborum congestivorum affudere, præcipue laudatur. Hoc non modo ob effectus suos purgantes prodest, sed quoque ob potestatem quam habet, secretiones hepatis

fere multum turbatas, ad statum sanum restituendi.

Ut ratio medendi hic proposita efficax fiat, summa vi usurpanda, et patientia nunquam defatigata continuanda est: paucæ horæ prætermissæ, sæpe spem omnem curationis perdent. Si non donec stadium collapsus supervenerit arcessiti fuerimus, ubi totus sanguis mutationem subierit, rationes ac illæ adeo validæ ægrum internecarent, spemque cunctam quam morbi vehementia fortasse reliquerat, tollerent. Rebus sic se habentibus, curationem præcipue palliativam esse oportebit; opium in parvis sed repetitis portionibus, jam ad irritabilitatem sedandam, utilissimum erit; et si nullius visceris læsio organica adfuerit, sed æger viribus exhaustis potius laborare videtur, lenia stimulantia caute admodum exhibita, nonnunquam tonum circuitus restitura, et sanationem acceleratura esse reperiemus. Diæta ex cibo quam maxime blando et concoctu facili constare debet; regimen quod nimis stimulat, sæpissime morbi recrudescentiam lethalem inducit. Celsus * de hac forma morbi locutus, ait, " Ci-

---

* Lib. iii. c. xii.

bus autem in ejusmodi morbis maxime dandus est, qui mollem alvum præstet; caro glutinosa; vinum, cum dabitur, austerum."

Sic igitur morbum adumbrare tentavi, qui a pathologis vetustioribus naturam malignam habere putatus est, et ad quem sanandum curatio stimulans necessaria prorsus ab iis ducebatur. Doctrinæ istiusmodi, tamen, jam obsolescere cœpere, et, uti sperandum est, cito e conspectu omnino luce investigationis accuratius et legibus philosophiæ melius institutæ affulgente, decesserint. Nimio studio et cura, interea, observari nequit, debilitatem, quæ in morbis congestivis indicium adeo insigne existit, speciem esse et præterea nihil; et curationem omnem quæ, debilitatem revera adesse, principio innitatur, in exemplis longe plerisque effectus perniciosos esse inducturam.

Denique, ut hoc tentamen ad finem perducam, nihil mihi melius factu videtur, quam verba valida SYDENHAMI celeberrimi adducere, cujus de malignitate (sive notionem sive verbum dixeris) opinionis inventio, "humano generi longe ipsa Pyrii pulveris inventione lethalior fuit."

FINIS.